Załuski Andreas Chrysostomus

Episcopus Varmiensis et Sambiensis

Resseliensis Coll. S. J. Agno digno accipere honorem victima sive Ill.mo et R.mo Celsissimo et Excellentissimo D. D. Andreae Chrysostomo Załuski — Panegyris consecrata.



DIGNO ACCIPERE HONOrem VICTIMA

Sive

Reverendissimo & Illustrissimo Celsissimo & Excellentissimo Domino

D. ANDREÆ CHRYSOSTOMO IN ZAŁVSKIE ZAŁVSKI

nuper Plocensi, nunc Varmiensi & Sambiensi

PRÆSVLI

S. R. I. PRINCIPI

in ter secundo Cathedræ suæ ingressu

Panegyris consecrata

ab Obligatissima Societate JESU Jagellonij Collegij Resseliensis.

Anno ab AGno immolato 1699.



Typis Collegij Brunsbergensis Societatis JESU. 66.

Dignus eſt AGNVS accipere virtutem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam.

Apocalypſeos Cap. 5.

Hic AGNVS ille eſt, ceu novus æthere
Phœbus gementis nubila VARMIÆ
Qui terget, & candente byſſo
Innocuus ſacra liba Myſtes
Litabit, ipſe Antiſtes & Hoſtia!

Neoter.



CELSISSIME PRÆSVL ET PRINCEPS

IN consortio solennium Victimarum, quibus Pontificium Numen adorat Varmia, cadere minores etiam in Tui cultum hostias permitte. Majoribus litaret; si grandia conari posset, quæ Minima est Societas JESV. Hæ tamen ipsæ ex magnitudine decrescerent Tua; quàm cùm à Majoribus acceptã, de proprio feceris Maximam: nobis cogitandi aut vovendi æquales, facultatem abstulisti: Nec minùs modestiâ Tuâ premimur, quàm Gloriâ: in humanæ paupertatis solatium Tuos cæco alueo derivas fontes; TEipsum fontem humanis laudibus claudis & vetas. Obligata immortaliter Tuo Magno Nomini Societas est: sed id tantum agnoscere licet. Mavis beneficia conscientiâ arctari nostrâ: quàm in famam edi. At vide Magne Præsul, ne invidiæ piaculum sit; dum regulam gloriæ mundo negas. Qui sibi non alijs nascuntur & vivunt, utcunq; pretiosam sui abscondunt imaginem: Principes publica mundi sidera sunt, à quibus populi fortunantem virtutẽ lucem præstolantur. Carebunt exemplo tempora; si quivis imitatione Tui suam speciem dissimulet. Quocirca nolis sanè hostijs nostris vocalem famam obstrepere: silente non tam calami, quàm animi officio signatum fontem coronabimus. In AGNI sede emines; de qua vitalis fluvius sese quadrifido amne per Varmiam & Sambiam Societati dispensat (nam Brunsberga & Resselij Collegiorum, Regiomonti & ad S. Tiliam Missionum eam Natalem scatebram agnoscimus) ante thronum AGNI coronas mittere e præclarum & justum est. Probabis hoc recognitionis Celsissimæ Excellentiæ obsequium; qui cætera nostra probando, fecisti Tua. Si tamen in opere maximè Tuo, quia de TE TIBI sacerrimo præsumere videmur: nega esse officium & ausum dicito, sed TIBI imputandum; quem non magis attollit Celsitudo, quàm submittit Humanitas. Culpa erit non integra meritorum Tuorum confessio: in AGNUM eam conjicimus, ut non jam doloris flumine, verùm lætitiæ

tiæ venâ, quam synceram fortunatis Dominus propinat populis, de monte honoris excitam, tollat & deleat. Non insolens moderationi Tuæ est errata nostra excusare, infraq; meritum honorari. Hac ipsa Pontificij Principisq; tituli sociata Majestas, quâ vicem Divinitatis geminas, TVI unius vincitur granditate. Tenuitati nostræ prævit Honor Tuus: dum TE per impares dignitatum hostias Aræ assuefecit parciori. Ages ergo & qui vicem Numinis Princeps & Præsul Reverendißimus sustines, isto quoque referes: ut non magis divitem hecatomben, quàm minuta thura TIBI placuisse ostendas. Admitte pennam pro sangvine non tam sepiam quàm affectum Societatis fundentem in anathema: nam corda, sive in victimam, sive coronarium fontis honorem Pontificijs plantis adsternimus (verentur enim in pretiosum aureo ore caput ascendere, nec forsan in tot infulis redimito vertice locum reperirent) TV ruinam hanc si Principe aspectu dignaberis; elevatam se ad gustum Tuum gloriabitur, quod sibi precatur.

Reverendissimæ, Illustrissimæ, ac Excellentissimæ Celsitudini,

Devotissima ac Obligatissima Societas JESV
Collegij Jagellonij Ressel.



PANEGYRIS

Emicat in melius cœlum, TIBI Varmia festum
Condunt astra diem nec enim sine Numine avitus
Principis Indigeti sua sidera fœderat AGNVS

HAbes Principem, quem ipsa à cunis authorârunt fata, ipsi non unâ arrhâ caverunt Superi, ut olim Tuus esset. In Patritio stemmate Dominatoris AGNI Tui ingenium adora, in Nomine Tutelaris Apostoli venerare consilium, id ab Vtroq; actum est: ut terrestris quondam Dominus & Præstes ipsâ ab infantia à cælestibus auspicijs nec nomine nec insignibus abluderet: atq; ita altero ab axe AGNO & ANDREA; altero hîc regereris manifesto. At ne metire meritis Tuis exortum solem, quasi præmium Tibi obtigerit: quæ si aliqua sunt, præsente Principis meridie non ut minora vincuntur sidera: sed ut umbræ evanescunt. Divinæ Fortunæ munus gratuitum Clarissimus Præsul est, nec aliter æstimare potes, si votorum Tuorum consulis impendia. Indulsit tales sui vices Numen propitio agendi tenore, non meritorum coactus imperio. Quæ enim tanta esse potuerunt? ut orbis Patrij Exornatorem, alieni miraculum raperes; quem dum nostra ætas celebrat, se consecrat: laudabit posteritas, dum stupore hærebit, invidiâ obmutescet. Præsentis Ille ævi pretium futuri votum, famâ semper major visus, quæ prævenit, secuturâ indubiè superior, cùm non videbitur. Deficiunt in eo ornando coætanea tempora, occasui succumbent nascitura. In Divino culmine humanissimus, in humanitatis legem hoc peccavit solo; quòd humanum diem ejusq; judicia excesserit. Tot apicibus infulatus, Ipse votorum Apex & Corona factis extendit vitam, & annos laureavit, imò æternitatem. Sortis in virtute, honoris in merito, famæ in gestis, temporum Dominus in pietate, fortunare potest, quia vult; illustrare terras, quia meretur: perennare nomen; nec enim mortale est, quod agit. Quin jam beneficio & ingenio æternus, abstulit se naturæ, quam vicit: Fortunæ nil debet, quam extulit: gloriam auxit, dum contempsit: Animos & annos occupando angustiavit.

GRande spectaculum in exiguo Orbis Varmiensis theatro exhibes TE ipsum Princeps Celsissime, quo tot alios à Lechico polo cælos satiâsti, tot regnorum soles Tui stitisti admiratione. Egrederis Polonum mundum magnitudine, & nunc TE non pars Vniversi, sed punctum possidet. Servat Dominum Sarmaticæ

provinciæ particula, si tamen particula! penna potius grandium alarum Aquilæ dicenda. Collegisti TE in compendium; ut mundum in tabulam delineator terrarum stylus quandoq; cogit. Videt TE illibata Prussiæ pupilla (sic necdum vel atomo pravi dogmatis violatam Varmiam appellare licet) qualis, cùm in occasum declinat Phæbus est: & miratur Majestatem non tam per honorem, quàm damna propè augustiorem. Non enim majorem fortunâ animum dignitas ista exaggerat: non insolens Virtuti Tuæ hic honor est: quidquid TIBI evenit, ex consvetudine contingit Gloriæ, quæ cùm sectetur celsissima, eminentem AGNI Tui stationem præterire non potuit. Annuâ experientiâ discimus, familiare & Princeps solis hospitium domum Arietis esse: illuc, postquam satis hibernavit, postquam singulas Zodiaci peragravit Provincias, primitus *siderum Imperator* divertit, bellatoremq; hyemis radium ex sui hospitis exemplo in prælia brumæ victricia format: an id etiam ex cœli disciplina Varmiensis Honor perceperit? an porro hæc ipsius natura sit? ignoro: praxim cernimus, diuturnam ex Eminentissimo Radziejoviani sideris palatio absentiam ferre non potuit: ocyus decurso (quantum per inimica merito æternitatem circulo fata licuit) Zbasscianæ Fasciæ Zodiaco æmulo solis pede ad fausta AGNI Tui recurrit penetralia, pulsavit, evicitq; diversoriũ. Quo verò id pretio aut lucro? quo in anteceſſum pignore aut authoramento? nullo nisi curarum imminentium, laboris exantlandi, proximèq; fundendi sudoris impetravit pollicitatione, Solvendæ nimirum (si superis placet & placeat utinam!) canæ & inveteratæ hæresum niues, frangenda primitus non prima glacies, hactenus ultra seculum, tot in Riphæis montibus, quot mentibus soli Iustitiæ imperuijs acta, rescanda in floridam amænitatem, post steriles Februarios, verno phænomeno non tam tellus, quàm mortalium pectora securâ pereundi licentiâ sopita. Vnde verò tanta precaremur, aut præstolari possemus bona? nisi à TE Illustrissimo sole, qui sub ipsam Vitæ Auroram Ianuarium veris Arietem ingressus es, nuncq; insuper alterum in Varmiensi cœlo, Tutelarem cathedræ hujus AGNVM ingrederis. Hæc ingentia additamenta Tua sunt; quæ parentes Saturnij lustri falces, totq; Consulibus præambulæ secures Patritiæ Tuæ experienrur. His auctarijs dignitatem dimensus es, quibus ævum Tuum diminues, atteres gentilitia decora, sola ab usu & Opera resplendescet gloria, messis erit æternitas. Si tamen munificum præterea Honor in Tua se probavit merita, non illud quidquam præter umbras est: quas à gemino Præsulis, & tertio Principis diademate in Populos duplicavit; ut flagrantissimum Tuo magno Nomini æstum tantisper temperaret. Sparsit has la-

tuis

tiùs tam ab Inſulato apice, quàm mitræ faſtigio; ut quietem fatigatis deſiderijs optatiſſimo Principe in poſſeſſionem Amoris jam intómiſſo perſvaderet. Mutâſti aliàs dignitates, & ipſâ mutatione au-xiſti: nunc vertiſti locum, non honorem; nullo utriuſq;, maximo meritorum incremento. Parem exornando Vniverſo animum ſubduxiſti Maſoviæ: ut eandem Spartam illo ornares in Pruſſia, divideresq́; in plures tantum bonum, ſcilicet TE ipſum; quod nulli invidendus ſis, niſi Fato. O longè præclariſſimam viciſſitudinem! ita diurnus Planeta ſuam partitur præſentiam non deſpectu aut invidiâ inquietus: ſed quia ſecundus orbis auro lucis honorari præſtolatur. Sic ipſum, credo, Numen ſi arctior illi foret immenſitas, in commoda ſe noſtra diſpenſaret, alternaretq́; vices ſoſpitati populorum fortunatas. Et nunc æternus rerum Arbiter, etſi cunctis etiam latebris ipſis manifeſtus eſt: dum tamen vultum & vires veluti diſſimulat; non tam ſublime invocantium dignitate attendit ſuffragium, ut honore ſuccollante quodammodo feliciùs approximata excipiat vota: frequentiùs laborantem graviùs cauſam ad minorum advertit precem, & præſidiarias, moraturus ruinam, accelerat ſuppetias Majeſtatis. Tranſtuliſti liberale Divinitatis obſequium in Tua ſtudia: ut non magis illius vicem Pontificio munere ſuſtineres; quàm imaginem referres æmulatione actorum. Recurre ad terminum, TEq; aliquantisper redde, cui invito TE abſtuliſti, Repræſenta ſimul, cui TE conceſſeris? quam provinciam, non dignitatis, ſed terrarum ornandam ſuſceperis! in utraq; fidem dictionis reperies. Fortunata Plocia, tot Numinum ſedes nonne, TVI poſſeſſione potentior? inſuper votorum amplexibus Pontificias plantas poſſe impedire credebatur viresq́; vincere triumphali tantæ Cathedræ authoritate? at Tu Tyrium Herculem orbi dediſti: quem non aurearum compedum venerabilis captivitas, non fumantia thure victimisq; altaria adeò remorata ſunt: quin in conſortium laborum & victoriarum, ad quas illum Magnus Macedo evocabat, ex auguſto baſilicæ aræ gremio in auguſtiorem laureis arenam evolaret. Rara hæc mortalium indoles eſt, quam in TE ſuſpicimus: admittis dignitatem, quia laborem amas: tanquam non laborum præmium & coronis, ſed authoramentum invictæ ſolertiæ ſit; Nec tam in frontis decus faſcia, quàm potiùs in præcipitis ſudoris exceptricem ſpongiam debeat deſtinari. Novum magnetem & illicium reperit Varmia: quo ſi TE non mereretur, at auream mentem raperet, ſpem ſcilicet, & lætiſſima experiendi vires HEroumq́; *ANDREÆ* nomen probandi præſagia. Plures, quemadmodum Iovis olim Iunoniſq; templa, pulvinaria DEorum appellata ſunt; ita etiam Honoris delubrum, otij quietisq; conclave, infra pulcherrimorum decorum merita imò hominem indigno

declarant judicio: TV ceu campum occupationum cælestium sacella priorum ingressus es, et nunc præsens AGni nostri sanctuariũ, ceu theatrum amplissimæ Virtutis ingrederis: ut jam olim Præsuleo Nomini dedicatum in æmulam polo basilicam Tuis splendoribus ac cendas. Vegetat Cælestis vigor Principem, ut quemadmodum astrorum Orbes, sic Tua indefessa solertia non nisi successione laborum requiescat.

Quin amplius aliquid de TE Magne Antistes dicendum est: emicat omni humano superius consilium in facto Tuo. Quanti illi sunt? qui Pelio Ossam, Carpathum Alpibus corrigunt, dum nonnisi ad Celsiora Translationes non festas, imò superis non rarò infestas approbant, novissimoq; dignitatis fastigio præcedentem fortunam superari gratulantur. Tum demum anhelantium curarum jactant solatia! cùm ex gloriæ specula quaquaversum per decliuia honorum minoresq; gradus superbum possunt oculũ circumferre. Quo id porro commodo orbis? quo sive sui emolumenti, sive famæ compendio? non alio, nisi quod velut in turriũ cœlo minantium pinnaculis, immani Gigantes corpore suæ magnitudinis amittunt fidem; ita & hi in præcelsis cunis dignitatum ex Grandibus Paribusq; in Infantes decrevisse censeantur. Damnas hanc gigantæam industriam, nec verò etiam quantumvis Victor montium AGnus Tuus Apennino sublimior, aut septicolli statione foret; rectefactis exaggeratam Tuæ granditatis humano auferret oculo conscientiam: eam sortem meritorum adminiculo parâsti fortunatus, ut astris contermini honoris pergama in planitiẽ deducere posse existimeris. Verùm mereri mavis maxima, non adipisci, contentus fecisse, quod laudetur, Authorem laudibus eximis. Donas pulcherrima acta patriæ, non plausui. Occupat Religio palmas, Tu laborem. Reddidisse astris vicem, refudisse cælo influxus, orbi prodesse potuisse, fortunam reputas, imò honorem Numini sua accommodâsse dispendia, & gustum illius lucratum esse pro censu. Correxisti antiquitatem meliore curarum termino: etenim Triumphales Viri in gremium mentiti Divinitatẽ Iovis victrices resignabant laureas, veriti forsan ne gloriosæ frondi pactam fidem violarent fulmina: si extra sinum Tonantis marcescere ei contingeret: Tu auspicem omnium & Coronam DEum exordio & evento petis, illi successus & prosperitatem vendicas, gloriam facti Authori & fonti insinuas, hoc solo magnifico retento pretio; ut Tuam magnitudinem amittas coram Maximo, summum eleues, si posse adesset, non Tuam Celsitudinem,

Quid?

QVid! Mentis Tuæ nobilem fœtum præli subsidio, in lucem editum gratulantur boni omnes! Tu laudes audis Natorum & Patrem dissimulas. Potes invidere notitiæ mundi Iovem; qui tantam Mineruam suo de cerebro genuit deq; sepiæ nubecula aureo fortunavit imbre. Voluisti nesciri Atlas tam sacræ, quàm profanæ Palladis: at supprimi quidem tantum Nomen tantisper potest, opprimi non potest. In nocte quâ tutius aurum creditur, magis insidiantem palpebram metuit. Dives vena per literarios diffusa sulcos amnisq; sanctioris facundiæ, qua pietati partiris solatia, in originem CHRysostomum elevant vocē suam. Iure ergò de TE virtus conqueritur, quòd Ejus ornamento Tuam dignitatem abstuleris; accusat labor, quòd pretio Pontificij Nominis vicarijsq; cæli auspicijs illum fraudaveris: Honor ipse succenset, quòd cùm TE per virtutes agas, ad virtutum præmia frangas gradum, imò aduolantiū dignitatum insignia à Tuo portu remoreris. Volat Divino Palladis Tuæ consilio instructa Argo in gloriæ Oceanum, pansa latè voluminibus vela oculos animosq; incurrunt; Typhis interim & Aries, Arbiter & fatum carinæ desiderantur, aperti libri sunt: sigilla Magni Nominis & stemmatis secum AGNVS obseravit. Hanc avaritiam quâ Tuam orbi famam negas, modestia præsentis fortunæ & moderatio insequitur: Insolens decus in memoriam ætatum transmittis, & meritò illud serus nepos suspiciet suscipietq; in exemplum. Quod enim aut quàm illustre est? regis magna merita, ne præmiorum impatientiâ laborent! ingentem virtutem majore adhuc premis, ne igneam naturam in summa exerat! Ille TIBI fons gloriæ placet, non qui conspicuâ honoris fortunâ, sed industriâ mistus sudori fluit, pretiosoq; Corporis defessi increscit rore: non autem quieto dignitatis culmine ceu sterili frugum monte obturari perhorrescit. Illustrissimus aliquos libros suppresso nomine edit.

EGregiè hæc in TE Princeps inclyte etiam retroactæ ætates præluserunt: sive quod sub contemptum gloriam duxeris, sive quòd nullus honor nisi negotio confectus sit. Fama, TIBI placuit quam ipse dares, non quam alij: Scivisti moderari etiam collactaneam laudem, nec inter scholastica prælia ab illa exæstuâsti: Occupâsti primitias temporum secundis laboribus, jamq; Tum parem animo, non ætati messem præsagiens fecisti augurijs locum, an æquaturus esset honor, qui primus blandiretur! Nôras gratissimam mortalibus Auroram, quæ suam

 purpu-

purpuram roscidâ pro gemmis aspergit lacrymâ, & regiæ lucis gaudio miscet dolendas guttas, si deessent; quare in Matuta adolescentiæ clarissimi sangvinis per genas tralucentem muricem irrorâsti labore fœcundo lætitiæ & præsagiorum, secuturi olim imbris potiùs, quàm sudoris: quem TIBI secundando bono publico pacis pervulgatus amor erat (ut jam intuemur) expressurus.

COronent vota TVA etiam ab inde superi Princeps Celsissime, & occupationibus præsumptis augurio, TVO genio fortunandis annos indulgeant, factis pro fastis distinguendos: nec vitam satis extensam causent, quia indolis præcocitate quondam maturum ævum prævertisti. Ibis in famæ studia, qualis nunc nostram ingrederis conscientiam; quæ non tam TVÆ dignitati impendit obsequium, quàm potiùs sibi ex TE optat æternitatem. Propitiat sibi rumorem temporum AGNO Tuo; quem in hoc declivio decimi septimi Christiani seculi velut sub vesperam immolat; dum TIBI Terrarum Prussiæ Præsidi ceu Numini victimas ex fide operum TVOrum adornat. Nam alias hostias ne spera Præsul dignissime, Colchidem non populabimur; clarissimi sangvinis viâ, fatiscentes vel sub TE uno vires recusant occupari. Suffecerit, si solitarium in Ara nostra Numen esse non pateris, adsciscere Divum Patrem TVVM ætatum Illustrissimæ prosapiæ Ideam & Compendium. Quanquam & Ille causam tergiversandi calamo præbet, Alexander est, eas in Nomine laudes possidet; ultra quas, ora mortalium & pennæ rarò aut nunquam fortunam svadæ promoverunt. Solatium nihilominus eodem fonte haurimus, quo metum: quòd si casus nos quispiã dejiciet, sub Alexandri gloria cecidisse feremur. Et certi, victoriâ prosterni, sumus: nam,


Ualis in aprico cælorum Cynthia campo,
Astrorum in medio nitteâ si fronte coruscet;
Æternos vincit vigiles flammasq; minores
Egregiâ damnat formâ: non ditior illa
Luminis incerti est, nostri quàm gloria Sceptrî
Luxit ALEXANDER; radium securior Ille
Fudit in immensum, venturo exempla Nepoti
Seu gereret privata, daret seu publica Imago
Auditurus Sarmaticæ pulcherrima laudis.
Victori cessêre animi, adjecere coronam
Tot Natos superi; qui jam decora alta Quiritũ
Florent, ingentesq; Dij pollentia grandis
Fulcra domûs, patrijq; salus sunt unica Fati.
Celsiùs his se jactat Honor, nec Gloria in ullos
Pronior ire magis: magnete potentior urget
Quippe animus virtute celer prævertere fasces,

Qua

Quâ - TU - cunq; poli resides jam parte beatus
Tot Pater Astrorum solij haud oblite Poloni,
Præcipe miratura Tuos olim æva triumphos,
Quem TE secla ferent?
Tua nam sunt ista trophæa.
Atlantes genuisse viros, Lechicoq; dicâsse
Alcidas mundo, faciles convertere fata,
Si quæ læva forent. Tot TE didicêre Magistro
Pelidæ famam moliri & digna Parente
Pincerna & Vexillifer Rau: *Nomina in augustos meritis iterare Penates.*
Sive Aquilas rexere manus, tot millia Martî
Juravere Tuo memorabile Sacramentum:
Sive Jovi patriæq; TUO cratere salutem
Libâsti, bibimus fortunam & regna, secundo
Manavere Tibi felicia flumine vota.
Bellator populus meritum majora canebat
Non vano plausu. Memorem quid cætera magnæ
Succamerarius Rau *Præmia virtutis? vel dum TE Principe gaudet*
Nobilitas, vel quando redux Astræa bilancem
Credit, & invictam miratur munere dextram:
Mareschalcus Tribunalis. *Instar solis eras, quem non brumalia mutant*
Sidera, non æstivus Amor, formosus utrinq;,
Culmine diversus solo, sed luminis idem.
Nuncius ad Comitia vicies. *TE Chronus & Domino regnator Vistula fonte*
Heroa obstupuit toties talaria pronis
Indutum votis, bis denas sparta recurrit
Usq; vices, cessitq; suas Cyllenius alas,
Palatinus Rau; *Officiumq; Viro. Per tantos ire labores*
Damnaq; opum placuit, quem quamvis purpura cinctu
Ambiêrit merito; erubuit minor illa merentem.
Sed jam digna dedêre poli, potiore negatam
Laudem pensavere die, quâ semita candet
Calcas astra, Themisq; Ducem formosa coronat
Augustis, Dominus magnis praes AGNE diebus.

HOc TV amplissimo Patre, cui una honorum orbita non suffecit, eundem per similes olympias exhibiturus natus es Princeps, nec solus: nunquam enim una duntaxat Virtus nascitur. Veneramur Sacræ Antiquitatis eventum nostro ævo repetitum: Magno illi Simoni qui in diebus suis suffulsit domum, suppar Præsules, & TE circum corona Fratrum; cùm Ipse huic Coronæ supereminear. Venerabilis Græciæ sapientûm numerus indiguit seculis, quàm coalesceret: agnoscit suam Patria fortunam: cui tantam sapientissimorum seriem una ætas, una domus fudit datura plures, si Sapientiæ basilicam pluribus succollari necessum columnis foret; aut vel ipsa Felicitas non satis septenæ prolis sideribus coronaretur. Amisimus ergo jam propè sensum cladis; quâ sublatus Alexander Sarmaticum mundum afflixit; nam in tot Illustrissimis Astris major sol ab occasu est, & quantumvis grande damnum copiosi compensat lucri successio.



Ræstantes Animæ, præsentia lumina Mundi
Arctoi, prompti magno certare Parenti,
Indigetesq; Dij: tantis dum nostra fruetur
Patria, non illi Delphum aut Hammona precabere;
Nam TU quis flores; Patrij nominis hæres

Illustrissimus Palat. Rau.

Et fasces successor habes? cortina sileret
Dum lingvâ comples nomen Consoq; coronas:
TE pietas, TE sancta Themis; TE docta Minerva,
Cœlestisq; Fides non uno cingere serto
Quondam Victorem fatorum sponte laborant.
Felix tot sociâsse Deas, in templa Penates
Migravere TUI: fortunata aula coruscat
Egregij exemplo Domini, niveiq; lucernâ
AGNI in Luciferos pubes accenditur ignes.

Illustrissimus Castel. Rau.

Nec TU Fratre minor melioris Phosphore Secli,
Necdum fraternos quamvis aquâris honores:
In meritis jam certa latet TIBI gloria; formâ
Induvijsq; Ducum tantus, moderatio pulchra
Ni vetuisset, eras: sed nec remorabère quondam;
Nam coget majora Numæ virtusq; nivesq;
Antiqui moris, probitas, Pallasq; secunda,
Os Phœbi, constansq; vigor quemcunquè merendi:
Vt summam dicam: Patriq; simillima proles
Et Fratri es Frater, similis post Castora Pollux.

Illustrissimus suff. Ploc. & Illustrissimus suff. Præmis.

Vos frustra at calamus tentet, quos fama per orbem
Cognatusq; polis honor astra extollit in ipsa.
Quis terris invisus agon sibi laurea serta
De calamo linguaq; rapit? quæ prælia victum
Victoremq; pari commendant sorte Triumphis?
Vestri hic est splendor belli: quis portet olympum
Alcides Atlas-ne ferat? certamen amicum
TV major dirimis: dum Fratri cedere gaudes
Inq; humerum viridem, mage, cœli pondera flectis.
O digni fastis Gemini? error gratus honorum!
Vos vestra integritas, zelus gravitasq;, decorq;
Virtutis, suavisq; tenor mandabit in æva.
Tuquè Prior frustra cathedram cui Plocia vovit;
Quamvis sancta dies, vigilataq; tempora noctis
Devotusq; rigor, pietasquè sacrabit Olympo:
Magna hæc, sed tempto major radiabis honore.

Illustrissimus Czernihou. Pal.

Tu quoq; qui magno natus de Consule Consul
Ipse nites, præfert claros Czernhovia fasces,
Invictum Parcis reddis virtutibus ævum.
Arbitrio quantus surgis, quantusq; vocaris!
Alter ab axe Cato, tripodem probitate secundas;
Ne mirare Tuo si Lechus pendet ab ore:
Nam meminisse puto; Tarpeiæ Jupiter arcis
Vt redijsse Tuo Ciceronem munere svadæ
Obstupuit, victoq; animo concessit honorem.
Plausit præclaris dominatrix Roma trophæis;
Dum merita cidari Fortunas tempora fratris

Fratrum

Perillu- | stris D.

Fraternas laudes adolescens Gloria claudes
Spes teneri victrix ævi, mentemq; senectæ
Imbuere ante diem niveo candore perite.
Jam TIBI se Patrij tellus angustiat orbis;
Linque Aquilæ cunas, mores mundiq; Penates
Diversos Visure hospes, sed solis ad instar
Non vario victure modo, peregrina negabis
Vitæ facta TVÆ: jam præmia magna parantur
Nectuntur fasces, in quam - TU - cunq; videre
Partem certus eris, seu sacro optabere regno;
Sive Palatinas cupies implere curules:
Par Spe vota rapis, nec Spes frustrabere nostras.
Quod superest, vovisse decet præclara tuenti
Stirpi pro meritis, quæ vos optata voletis.
Seu Helicen, seu Pleiades vos fata reposcent:
Id sed serò velint, nec nostro sidera mundo
Invideant; seu fulcra domûs pollentia amatis
Dicier, in victo seclis superate vigore
Ætates hominum, mortalia vincite fata.

PArcet reliqua Illustrissimæ Familiæ antiquitas se præteriri, scimus debitum, sed simul & vires nostras. Ingenua Confessio veniam merebitur, ne desperemus: quod non præsumpserimus. Quod illud sacrificium foret, si succumbentis calami spolia in tot Numinum victimas partienda essent, quantillum sanctioris Mineruæ delubro obtingeret: in quo Celsissimus Avunculus TVVS Sarmatiæ Nestor *ANDREAS* Olszouius cum Hieronymo Vitorien sis infulæ vitæq; splendore clarissimo, perennat; quantillum Martis sacello, in quo invicti Heroes ipsoq; Nomine authorant Gradivo pectora GEORGIVS, MICHAEL, SIGISMVNDVS, PETRVS & ALEXANDER adhuc ultricem spirant Bellonam, imò Parcæ ipsæ illustri sangvine in Zborouiensi cum Cozacis prælio rigatam servant laurum? quantum itidem Consi sacrario in quo Palatinus quaternio Castellaniq; Proceres eminente Illustrissimo Domino Castellano Gostinensi etiamnum oracula per exempla fundunt; aut demum quantum ipsi principali Aræ in qua Illustrissimæ Familiæ Præses Genius ponè cognatos Orbis Poloni intuetur DEOS Olszovios, Korycinios, Kazanovios, Duninos, Radziejovios, Radivilios, Koniecpolios, Prazmouios, Karnkowios, Krosnowscios, Dönhoffios, Dzialynios, Przerembscios, Lipscios, Vlinscios, Oborscios, Ciecîszewios, Pstrokonios, Vchanscios, Męczynios, Kucborscios, Dąmbscios, Plichtas. Non quidem alienum ignem, aut rapinam in holocausto admitteres; si patrimonium tot seculis laboratum

Conjunctio Familiæ.

TIBI impenderemus cui laboratum est. Verùm reverentior Majorum Princeps es; quàm ut Eos TE coram occidere patiaris. Dives proprij sufficis etsi invitus (nam nihil minùs spontaneum TIBI est, quàm materiam laudis esse) opes, quibus colaris, non aliter ac Numen, quod dum officium exigit, vires & munera indulget sibi immolanda. Imò etiam, etsi non in vanum lotus ad gratiam in clarissimo AGNI sanguine calamus magna Nomina assumeret, angustiùs nihilominus tanti Dij colerentur. Suas illi victimas & festa exigunt, in TVOrum solennium honore sociari non possunt. Adde, Majorum TVOrum Princeps imago es, ut in portentosa Crystallo, cujus Pausanias meminit, inspector oculus non mortalem vultum suamuè pupillam, sed DEOrum speciem recondito legebat miraculo; ita in TE magna illa retroacti ævi Numina: succollatores Orbis Poloni & Familiæ Atlantes repræsentas. Absolvisti & consumâsti lineamenta gloriæ, imo adjecisti auctarium. Collegisti in TE unumquod per singulos sparsum fuit, & insuper coronâsti. Pietas commendavit quempiam, TE verò nec ipsa Pietas vicerit, si mortalis foret. Tot illius exercitijs inclaruisti, ut dubium feceris: an in TE illa habitet, an potiùs TEcum idem sit? Composuisti præclara opera, quæ tamen dum noster oculus relegit in pagina, jam ante prægustata in TVis moribus & vita recordatur. Quod esse Tuum, sit, ad lucem actorum Tuorum intuemur; Triumphat flamma pectoris altarium faces, magisq; arcano vultus flagrant incendio, quàm aperto cereorum lumine sacraria. Nec aut intra viscerum metas, aut templi subsistit angustias Vesuvius Tuus, prorumpit in publicū per zelum liberalis & humanus ignis: ut, ceu Oculus communis mundi, non tantum ipse aureus illustrisq; fulgeat, sed orbi etiam vulgariq; animæ suam communicet beatitatem. Alterum Astrææ bilanx æquitatis extulit arbitrio: quid TE æquius Sarmatiæ vidit Areopagus? Diversa diversos deniq; celebrârunt, TE omnia; junxisti culmini modestiam, splendori moderationem, dignitati comitatem, Majestati Pontificiæ amores omnium sociâsti. Doctissimam svadam, svavissimamq; eruditionem tot volumina; Magnum animum Tuum, & invictam constantiam tot ardua & obices; Amorem in patriam præsentia pacis studia, exantlata per orbē itinera, coalita rursus scissarum partium unio, tot demum pro oratore disertissimo labores loqvuntur universo, Echonem quondam à sera posteritate audituri vocalem luculentè

Virtutes Celsissimi

enim æquet fama felicitatem, & virtutem? quis rumor imagine reddat? pingi Tuæ oculus prudentiæ non poterit secururis laudibus, qui jam alterum Argus secundat sceptrum; nec illa dexteritas, (quam vicariam sui Orthodoxum Poloniæ Numen voluit, Catholica & Christianissima Majestates, Bavara & Brandeburgica Serenitates approbârunt,) tam eruditam nanciscetur dexteram, aut tam dexteram sortietur facundiam, quæ non abolendam seculis effigiem, Apellis instar, multo temporis laboret dispendio, ut lucretur sibi æternitatem. Igitur quæcunq; affectûs nostri thura supra solem orientem dilectus Princeps bibes; iisdem etiam Aurora & thalamus Phœbi, patritia scilicet fortuna Tui author, Majoresq; Tui, quorum compendium es, adorabuntur. Ita culta intelleximus avita sidera non tantum Patrij, sed etiam peregrini cæli spectaculo. Qui TE ad magna natum censuit, Magnis etiam natum inferre, de flumine fontem, de Corona Caput debuit æstimare. Qui ANDREAM audivit, Patrem censere potuit Alexandrum, Laborâsti etiam ita adolescens; ut non tantùm collectio sangvinis esses, sed exemplum, spectamusq; laborum Tuorum coronidem TEipsũ Coronam Majorum, toties secundè coronatam. Repetimus demũ dicta superiùs ut paucis innumera concludamus: Delectus scilicet haberi in alijs, in TE omnia summa esse, laudari alibi, sed aliqua, alia excipi: TIBI nulla appendix lædit regulam, sine exemplo eximius es. Ad supremam difficultatem pervenimus; ut voti non egeamus ampliorum, quia in TE votorum apicem tenemus. Etenim quid optemus amplius! exæquâsse Præsuleis virtutibus nostram solicitudinem non contentus, insuper excessisti. Immensitate quâdam nostra desideria complecteris, & precantium prodis paupertatem. Si adhuc aliquid vovere licet: non illud aliud arbitramur; quàm ut diuturnam Nobis tantorum in TE bonorum possessionem postulemus, tamq; in ævum propriam: quàm TIBI vulgare est, secula meritis angustiare.

PRetiosam materiam, quàmvis artificium non accesserit, aggenita nihilominus fortuna commendat: æstimantur unionum bullæ, etsi utero matricis conchæ proditæ necdum ruditatem deterserint: at nunc quâ industriâ spem publicam in flore excoluisti? TIBI antè venerandus, quàm cultum populorum Princeps & Infulatum Numen provocares. In ipso fonte temporum clarus vegetam fatigâsti adolescentiam assiduo virtutum officio; ne felicior esses, aut major, quàm melior. Cultûs Divini diligentiâ promovisti magis ætatem, quàm annis. Neglexisti teneram propè naturam; ut pietas adolesceret. Certârunt de TE hu-

Studia adolescentiæ.

mana tempora, cujus TE eſſe præferres; cum eſſes omniũ. Vidit TE Iuventus coætaneum dierum incrementis, & plauſit ſuo flori; at animus vicarijs ſenij moribus incanuit, autumnâſti præcocitate ingenij in virtutum adoreis, albaq; innocentiæ meſſe æſtivum ſe ſydus explicuit. Vnus & idem viciſſitudines temporum in Prothea aliàs ætate modeſtiæ ſipario pulchriores in amæniſſimam dediſti Scenam. Erubuit aliorum meridies à Tuo manè, tamq; ſerenum diluculum in illo noctis dieiq; confinio obſtupuit. Adorabaris ergo omnium affectibus: nam pietas è pectoris ſacrario, Minerua ex auguſtali Capitis Tui ſuum prodebant Numen. Præcipitâſti maturitatem non tam per horarum & momentorum fluxus, quàm uotorum: quæ tamen ipſa minora ad non dubiam Iuventæ Tuæ facem relegit fuiſſe Patria, poſtquam è Tyrocinio veteranus, é ſcholaſtica umbra in apricum famæ Triarius prodiiſti Athleta. Nam quid potiſſimum communi prece creſcenti ſpei poſtulamus? arbitramur ſufficere eam fortunam familijs, ſi radix nata in patriæ & ſtirpis glorioſam pullulet, aut aſcendat umbrâ, TIBI verò Sarmatia plures orbes precata eſt, quod præſumere non auderet, ut TE Polonus mundus caperet; quem genitum novecrat Alexandro. Videbat fruſtra metam TIBI præfigi horrente Carpatho, qui fixum cælitus ætatis limitem longè fueras prætergreſſus, et firmâſti vota, needum prope firmatus ævo.

PRiùs TE orbis Exterus Magnum vidit, quàm Patria. Iecitſti fundamenta communis gloriæ in alieno ſolo, quàm propriæ ſementem nativo commiſiſſes: Iuſſit TE ſuum Legatum regnator populus, ut Auroram, quam primus honor Cracoviæ ſacri Senatûs purpurâ accenderat, gigantæo paſſu vel tum in meridiem promoveres: dum in ultimum Corporis progreſſu pergeres occidentem. Abſtulerat Principem nobis victoria; ne forſan poſt divinos triumphos quid mortale patraret imposterum? an verò etiam Angelus regnorum MICHAEL contrito Dracone Othomanico, nonniſi apud ſuperos Dignam, in qua triumpharet, advertit urbem! Hujus opima aurei velleris ſpolia ſuæ reddenda Colchidi TIBI commiſit Reſpub: gnara illas ſacræ lanæ divitias nulli potiùs bajulandas convenire; quàm AGNO. Iuiſti perſonatus tot Regum Majeſtate in celebratam monſtris Heſperiam verum miraculum! quo an majus poſt Herculem vidiſſet? fœcundam Heroum vetuſtatem conſuluit auxitq; famam, dum advertit TE Magnum hoſpitem ibi gloriæ inchoare auſpicia; ubi immani montium interventu metã Alcides fixiſſet ſuæ. Stupuit Occidens ſeptemtrionis noſtri

Poſt fata
Sereniſ-
ſimi Mi-
chaelis
aureum
vellus in
Hiſp. de-
fert. jam
Can.
Crac.

qui alias diem condere creditur TIBI in Eoi migrare cunas. At has Hesperi vices jam olim novimus, ut post diurna fata, Principi Planetæ suæ facis parentet obsequio, mox in Ejusdem renasciturî festinet augustale, assumptoq; Phosphori Nomine, Astrorum Cæsari lampade præeat mareschalcâ. Ita etiam in diversa loca dignitatem Tuam partiti Superi sunt, ut ex TE ceu Hespero Hispania solis nostri occasum disceret, Gallia verò in TE novum Sarmatiæ Orientem auspicesq; gratiarum Horas velut in Matuta salutaret. TIBI, orthodoxus Princeps IOANNES III recenter inauguratus, Majestatis suæ commisit Nomen: ut illud in conspectu Regum aureo Chrysostomus ore loquereris. Et verò lilia regnantia unde Triumphalis famæ succum biberent potiùs, quàm aureo flumine? ultra aureum hominem nostra non ascendit Electio & arbitranti omnia Numini tantum suffecerit reperisse. TE ergò divino potiùs, quàm humano ritu libertatis aureæ Caput pretiosam poposcit lingvam, Invictus clavâ & Sceptro Hercules Herculem facundiâ triumphantē, Mars Poloniæ Adamantinus Mercurium ævi sui aureum. Adjecit ad meliorem lapillum Electoris populi, quo TE Atlantem communis Majestatis in Iberiam signaverat, suum divinitatis vicarium calculum Electus ex millibus: ne tot gemmis deesset Corona, voci populi vox DEI, sensum hujus gloriæ etiamnum in TE Princeps Celsissime vegetum crediderim; nam in omnium animis Gratiani nostri de TE grandia judicia famæ ingentis perennant. Fuit aliquid videre iterati Honoris sponsum Sarmatici Iovis ægide pro Mercurij galero coronatū de morientis Phæbi thalamo prodeuntem in Galliam lilijs coronandum! fuit inquam! & Tu Florentibus annis egregius, ætatē anteveniebas virtutibus, sortem meritis, genus nobilitate; nec incipiebas tunc prius, sed absoluebas nomen in alieni orbis theatro; ne olim suspicioni locus esset: ac si blanditæ fuissent domi laudes Civi suo. Insignem TE peregrinum cœlum vidit, & laudavit ex merito quidem, sed infra illud. Dedit suis oculis liberalem licentiam TE insequendi; dum videri poteras animis; dum non videbaris. Veneras nimirum insolitâ pompâ præ alijs noscibilis, quos magis adscititia commendat pompa, quàm propria, & admittere coguntur fucum, quia nativæ pulchritudinis destitutos se sentiunt gratiâ: at TE tanta magnificentia & sapientissimi Principis ducebat Majestas, præibat fama magni de TE sensûs universorum, pedisequa omnium vota, virtutes Tuas socias numerabas. Nec reditus dispar an triumphus? diversus tamen ab eorum, quos Nostra dum mittit Polonia, amittit manifesto indicio, minimè fortes & Heroas esse quibus aliena tellus noverca creditur

Electum Srmūm Joannem III. in Gallijs denunciat.

ditur

ditur. Iunxisti Tagum Sequanæ, Rhodano Iberum ut in laudes Sarmaticas flueret. Discrepantes studijs populos Tui sociâsti admiratione, ipsa immensa Regum corda specioso egregiè peractâ spartâ complexus vinculo es; Comitata TE gentium vota, precati omnes multa, plurima & maxima precaturi, si iter modestiæ Tuæ onerari patereris. Redijsti cum sole magis spectaculum; quàm spectator; dederas enim exempla, non sumpseras; nec alienus quidquam orbis habuit, quod non antè virtute occupâsses. Immensi illi viarum tractus impressa servant vestigia spem gloriæ, si adoreas Polonæ olim posteritati legere placuerit, illumq; augere fontem, quem AGNI planta toties fudit, quoties calcavit. Vtq; compendio dicam, Chrysostomum recepit Patria, qui nec scoriã traxit, nec colorem duxit in aurum suum, nisi cælestem.

Initiatur Sacerdotio.

ET jam in aureæ libertatis gremio velut ab itinere fessus quiescebas, cùm TIBI Divorum immortalium Pulvinaria pandit Religio, ut in illis solicitam profani honoris sopires curam; ipse non tam ad Vestales altarium faces, quàm potiùs emicantem de sub Cereris nube Divinitatis solem, vigilares adalta Divinissimus Athleta. Hoc TIBI restabat strictiore orbe quám ut TIBI sufficeret, experiri, an illa sanctitatis adyta & limina peregrini per utriusq; Herculis metam Olympiam terminare possent. Stetisti ad Aram gloriosus sacerdos & victima, simul Cœlestem, simul patritium AGNVM TVum litâsti, nusquâ Major visus, quàm dum minor genibus eras, imò maximus eminebas, dũ verticem supra summũ elevares, ne magnitudini Tuæ deesset corona. Signâsti non plus ultra TIBI candoris suispecie formoso calculo, si tamẽ TIBI & non magis honoribus delineâsti scopũ, quos cumulâsse obsequium mirari non possumus, postquam in aurei oris bolum totus Eucharisticæ fortunæ concessit globus. TV insuper TE ipso nimius, nimius & præclarè gestis provocâsti humanæ æstimationis pretio felices splendores, quin ipsos de TE duellâsse crediderim, quòd spolij quædam fortuna sit, de aurei oris pendere hamo. Aliud quòd in prodigium vertamus, restat, illud nimirum: quòd nondum in TE ornando defecit humanitas desperatura ut satisfaciat, & jam cœlum eget. Avarior ornatûs sui orbis noster est, axis totam liberalitatem in uno expendit pignore.

Fit Cancellarius Celsissimi Olszowij & Archidioecc Item Deputatur ad Tribunal.

VIdimus primitus in Nobilitatis Tuæ sacrario numerosa dignitatum anathemata servire prodigiosæ virtuti Tuæ, & adhuc se ream votorum damnavit gloria. Fasciculi non fasces cumulatissimam donis adorârunt amplitudinem, numero illi plures quidem, puto ut parvitatem copiã compensarent, TV vel non merita umbræ Tuæ laudem sonare, nomine

minâ nihilominus dignatus es, ut per abſtinentiam celſioris fortunæ ſine laurea beatam virtutem eſſe poſſe mundo approbares. Cancellarius Celſiſſimi Auunculi & Archidioeceseos, Judex Tribunalitius, Abbas Wanchocenſis, Præpoſitus Iaroslawienſis, Secretarius S. R. M. laborum non dignitatum catalogus, humiliora culmina, quàm ut in plublicum TE poſſent efferre, Multùm ſuſtinuiſti ſingula, & in lucem elevâſti: Periculum in TE per hæc minuta fortuna facere non debuit, an vires ſuppeterent Olympo alicui ſuccollando ? Mundũ ducebas in argumento; quis Atlas Majeſtatem Polonam invicto per regna & populos humero bajulâſſes! Nec forſan experientiæ ſuæ, ſed Tuæ laboravit modeſtiæ: quæ ſolis inſtar, aſcenſum in ſummam ſtationem moderatur, contenta non rarò rapientem ſeſe ad celſa indolem, ſolâ virtutis naturâ præmiari. Nôras conſtantiorem rerum ſanitatem eſſe, quæ ſubita magnitudine non intumeſcunt. Florem idem dies explicat & aufert. Fungo repentina magnitudo ſenectam in craſtino maturat; at quercus annis ſurgit, ætatibus vegetatur. Alij tamen ibi deſiêrunt, ubi TV incepiſti; ceu minorum amnium vulgus, ubi ſorbetur Oceano ſuumq; nomen ſepelit, vix primos regalium fluminum ortus adæquat. Surrexiſſent alij his honoribus; TV nonniſi inter honores eminuiſti: Exaggerâſti illis non accepiſti magnitudinẽ, liberali virtute ditâſti parſimoniam fortunæ, & de amplitudine conſcientiæ adjeciſti, quod decus tenuitati præmiorum geminaret. Itaq; Sarmatico Mundo ex TE patuit, non tam congenitæ granditatis arbitrio, quám præſidentis virtutis cardine pendere vertiq; momenta dignitatum. Ex fortunato auri Tui conſortio auguſtior reſplenduit pygmæus honor: etiam invidiæ ipſi æſtimari cæperunt parvi honores, poſtquam Chryſoſtomi ſocietate eos advertit radiari. Iiſdem inclaruiſti tum temporis prodigijs, quibus Numen, dum Mundum hunc magnum in ſummam, hominem videlicet, colligit, nullo illius detrimento, pulchrâ Thaumaturgæ potentiæ commendatione: Explevisti pumiliones titulos laude maximâ & concentratus in exiguam ſphæram activitatis Tuæ vigor miraculi vicem obtinuit. Non eo per ſingula, quibus gregem illum ſimplicium dignitatum extuleris; ſumma eſt, æternitatę operum caducam flammam ſumpſiſſe æuum. TE aureum conſule, qui toties ſudore gemmâſſe viſus; ut hoc mortalibus gratioſa nomina baptizares. Viſita cogitatione, delubra priorum dignitatum, ſi jam oblivione damnâſti merita; ad vigilantem in Claravalle Wachocenſi lucem Tuâ ea intueberis, Iaroslavienſes aræ zelum Tuum, exedræ vocem, animi pietatem, Tribunalia æquitatem, ſigilli cuſtodia per quam TIBI magni fons nominis prorupit, ſervat ingentem famam. In-

Secretarius S.R.M. Præpoſitus Jaroſlavienſis &Abbas Vach.

telliges

telliges simul quid TE tandem Kioviensi & Czernihoviensi infulis emeritum coronavit Chrysostomum: aurum aureo honore. Tua nimirum in honores collata ornamenta. Negligebat se virtus Tua, sed socordiam hanc aliena vicit solertia. Ipse Sudor Illustrissimæ frontis, prærupta velut in petram cadens scatebra, TE in publicam allisit famam. Vindicârunt vicem repulsæ, & exspectationis suæ dignitates, quas tamdiu Tui invidiâ puniveras. Felicibus avibus Tarpeij Sarmaticiq; Iovis Innocentij scilicet XI. & Ioannis III. Aquilis succollantibus AGNVS Tuus in Pontificiæ Majestatis Ara stetit, hicqué stationem fatigato calamo fixit ad indulgentiam. Tu interim permitte narrari laudes, quas olim fama per Rossum orbem de TE cecinit:

Fit Episcopus Kijou. & Czernih.



Ervire jussit nam TIBI eburneam
Rumoris Arcton Gloria, & oscinem
Musam Triumphorum tubasq;
Pegaseoq; volare latè
Temone cessit: quâ Tanais gravem
Gubernat amnem, quàquè Borysthenes
Fide pelasgâ decolorem
Damnat aquam tumidamquè toto
Ponto dehiscit. Barbara TE Thetys
Audaxquè in Hellen, ripaquè inhospiti
Timenda Nerêi; TE patentes
Oceani didicêre fluctus.
At TE volanti Rumor ab essedo
Vulgavit Astrum, quo melior dies
Ducis serenum, & mille solis
Lucra bibit pretiosa Virtus.
Hic Ille, dixit, Sarmata, quem senex
Titan Sagaci non humilem Virum
Miratus aulâ, cui superbis
Repsit Anas positisquè Boetis
Adnavit undis, & Dominum Tagus
Pedem procellis ditibus adruit:
Quin sponte concussi Penates
Hesperiæ patuêre sylvæ.
Illi & paventes mitibus Æolis
Amicta vultus suavè Cydonia,
Vitesq; Hydaspaisquè Proles
Coryciæ attremuere malis.
Et dum Garumna littora Chloride
Prætexta fontes visit, & orbitam
Blenni petentis, delicatum
Lilia ter jacuere collum
Supina cultu. O TE mea quam tuba
Virum loquetur? quantus Apolline

Consoq;

Censoquè regnas ô Poloni;
Certa salus Helicequè Mundi!
TE sparsa vultum Relligio nive,
Nudumq́ verum, canaquè seculo
Fides perenni, & candor albâ
Anteit insequiturq́ laude.
TE fas verendum stipat & integrî
Tenor decori, TE roseam sacro
Accensa Vulcano juventam
Axe redux pietas coronat.
TU vota Regum, TV populi trahis
TE post amores, ceu nitido polo
AGNUM Imperatorem frequente
Zodiacus thyaso secundat.
Hunc TE canenti Rossiadum Gigas
Applausit amnis, plausit & arduum
Inane cerni, hinc inde valles
Najadum Dryadumquè turmas
Certâsse famæ mobilibus volunt
Echonæ ludis: quin decus impigro
In regna Neptuni sonantis
Nerêides properâsse rivo;
Interquè canæ murmura lacrymæ
Torvo suávem frustra Hypanim Getæ
Timentibus Thracum susurris
Prona TIBI gemuisse vota,
Et pertinacis pergama Concani
Nostræquè quondam valla Kioviæ
Nutâsse pinnas annuissequè -
- Incolumi Rhodopen pruinâ.

HIC TIBI magne Præsul primus de Grandibus Honor Poloniæ, prima quodammodo ætas dignitatû & solis ortus fuit: nam alijs titulis, quibus TE Patria venerata est, nonnisi Auroræ præviæ competit vocabulum, Alijs luxisset pro meridie: TE verò Tum priùs nascentem induisse solem ipsa post W[illegible]icianum Planetam successio duplexq́; infula virtutis umbra, imò vultus Illustrissimæ Familiæ omniumq́; bonorum gestienti sub aperti diei primordia Vniverso concolor inchoâsse redarguit diem. Evocâsti specioso Oriente humana vota, accendisti lætantium gratulantiumq́; apprecationes: multorum tamen peccâsse in TE affectus adversus est, dum fortunatum æternumq́; TIBI id culmen desideravit: etsi inceptæ serenitatis auspicia proventu amplioris lucis non promoveres. Ignorantiæ ea culpa fuit, quæ nec indolem Tuam, nec virtutis genium satis cepit, meritis præfigere metam nescium, quantumuis ardua dignitatum desiderarentur culmina, quæ tam pretiosis gradibus scanderentur. Senserunt protinus nutare vota, etiamsi Præsuleo pedo cæli columine inniti crederentur, corrigereq; illa coacti sunt; quod

Tu non aliter constare videreris, nisi ut multa quotidie publicæ spei patriæq; impenderes, plurima licet pollicitus, promissa tamen augeres quotidie & superares: quibus gloriam resonare necessitas esset. Imaginem Ectypo, Echonem voci. Rapuisti oculos in progressum assiduò subeunte nova admirationis materiâ, cùm necdũ priorum satietas subiisset. sola Kiouiæ & Czernihoviæ habitatrix barbaries se gustu Tuæ fortunæ immunem voluit; cùm tamen maximè illius gaudere interesset: nec forsan mirùm, displicuisse hædis Pastorem AGnum, schismaticæ nocti purum Christianæ doctrinæ diem, perosis Cynthiam, stellam fixam Lunæ solisq; viâ & domum. Non difficulter ad Auri odium descenditur per gradũ contempti Vnionis, qui unione membrorum cum Capite coalescit. Fatum jam olim CHRysostomi novimus, ut suæ Græciæ displiceat. Nec in illa errorum Achaja felicior esse debuisti, quàm *ANDREAS* Tuus. An se magnâ Tuâ mente gubernari paterentur, qui se Capitis damnaverunt? Non tamen Tu inde minor: quia TE tot membris mutilavit perfidia; integritate vitæ pensâsti damna alienantium sese artuum, solis instar. cui proprij sereni conscientia sufficit, etsi communi pacto reliqua sidera declinent in occasum. Exilium illud à Cathedra Tua ævi nostri Chrysostome vertisti in patriam amplissimorum meritorum, quibus non unam duntaxat Poloniam, sed polum & latè patens Christianum fortunâsti Vniversum.

[L]egatus [a]d Sereni[ssi]mum E[le]ct. Brãd. [pro] favorẽ [re]gni erga [A]uxillia im[pe]tratpro [e]xped. [V]iennam.

ET hic inspice formosam adhuc velutiq; recentem lauream Pontifex inclyte, quæ non magis Christiani Orbis Capita Europamq; sospitaratam, quàm Tuam etiamnum complectitur Amplitudinem. Advertit in illa humanũ oculum, ceu aureum de AGNI vellere Ductum stamen pretiosior laboris Tui facundia, quâ in sacri nexûs consortium Brandeburgicam Aquilam sociâsti: Dubitabant nostra examina, an spe præsumere liceret, quod factum optabamus, & Tu jam supra vota eminebas. Pendula exspectatione nutabant animi, absoluisti velociùs, an diviniùs, ambiguum nostrum. Certus propè pro victoria TE laborare ejusdem alas assumpsisse putabaris, ac si periculum in mora foret, ne non satis citò ad palmas advolarent Aquilæ victuræ Draconem; qui per tot maria & flumina exantlata, malè sibi operã locâsse videbatur, nisi ad suam perniciem de nostræ fortunæ scatebra hauriendam festinasset. Vix TE audivit Princeps omni ævo memorandus, simul prudentiæ Compendium, simul suadæ miraculum, aureisq; momentis inclinato in Coronarium Christianitatis Scutum animo, armatam Regnatoris Prussiæ Alitis manum, simul in Herculeas oris aurei compedes, simul sacri fœderis porrexit vincula. Lætare facundiâ Tuâ Princeps Eloquentissime, quâ sic uteris

ris, ut vel hostium, vel scelerum victoriam persvadeas. Vtrumque ex Pontificia dignitate agis; nam utrobiq; sacra militia est; sive in humanæ vitæ dedecora animi, sive in adversam Christiano nomini pestem armentur manus. Quæ Tu olim gloriosa egisses dextera; si aliter seriem vitæ Tuæ partiri fuissent superi; luculentis lingua Tua mundum erudivit indicijs. Fronduissent in laurus clavæ, in palmas abijssent scipiones: nunc Pontificio pedo tot Ecclesiarum Angelus gloriæ Tuæ metiris Basilicam, passusq; Tuos suboriente toties distinguis adoreâ; quoties pulsaveris, jamqué satis coronato capite laurea defluxit in lingvam! Ergo



Ue laudum famæqué thesis? sonuisse secundo
Clasica prodigio AGnum, quám triumpharet Aquilæ
Armigeroq; Jovis pecus anteijsse Borussi,
Ut properâ ad socias pennâ volaret laureas!
Velleris aurati bellantia fata Dianam
Arietis ingenio quadrare jactabunt TVI!
TE memores fasti, TE sospes mundus uterque,
TE Mosa, TEq; Tagus, TE amicus Ister Vandalo
Dicet, & asserto formosior amne Tibiscus,
Nec socio Tiberis plausuq; egebis Adriæ
Deliquio at lentos tristis decrêsse jugales
Cynthia Danubium lauro decorum litora,
Ebriaq; Hungariæ Bessorum climata tabo
Pegaseâ erudiet uitare pennâ præpetes.
Jam contenta Othryn Pangæaq; uisere, nolet
Amplius horrisono euocare martem Carpatho,
Bellonamvé Padi, Regemuè lacessere Rhenum!
Hac quoq; Memnonijs per regna famam lacrymis
Devehet AGne Tuam, Niliq; sonantia sistra
Æraq; rauca gravem frustra laborem Deliæ
Prodiga solari, planctu Tibi nobile plaudent
Postera in æua decus; facunda palmæ fulminis
Excivisse AGnum Phœbe profitebitur ipsa,
Et sua fracta gemet Victore cornua ariête

Nec insincera hæc posteritatis de TE fama futura est, Princeps inclyte; cur enim in communi illo siderum contra Reginam militiæ Cæli motu Ducem fuisse non jure dicamus AGNUM? quem tribus millibus in apricum Martis Christiani prodijsse stipatum vidimus. Vicisti profectò, quia vicerunt illi, quibus Tua lingua animo favit, movitq; lacertos. Inhorruit ferrea armatorum seges extra fabulam non jam dentium, sed svadæ Tuæ prognata semine, tantò felicior, quòd non de Hydræ tabo in perniciosos stirpesceret manipulos, sed in Othomanici Draconis è Tuæ lingvæ profluvio duxisset exitium incrementa. Et jam ille Gradivus sospitator mundi quiescit; sed non Martium sidus Tuum. Vrget

TE in bella Domini etiamnum & laudis negotia vernus Aries! Diem non cenſes, cui labor Tuus lucem non affundit. Miratur texturam vitæ Tuæ Polonia dignitatibus nonniſi & occupationibus polymitam: ex merito manavit Honor, ex honore merita, ampliorem tamen fontem Tuum ſpectavimus coronâ; umbramq; hactenus deſideravimus; quæ ſplendidæ meritorum luci reſponderet. Ornârunt TE Majeſtates, nec eminentiſſimum Virtutis Tuæ faſtigium attigerunt: ſuperfuit ſemper de pretio, quod obligatâ præmiorum vice exſolvi neceſſum foret. Cancellaria TE ſacræ Reginalis majeſtatis gemma ambivit; egregio ſanè conſilio: ut TE Chryſoſtomo ornaretur, non ornaret. Acceſſit TIBI campus, non activitas, quæ etiamnum eadem perſeverat, dum jam ampliſſimam Spartam Præſuleus TIBI ſcipio metatur. Lunæ nimirū tantùm cum incremento vultûs etiam augetur virtus: Sol verò eâdem perennat face, etſi negata ante ſpatia nunc ſuo radio aperta videat: ita Tu per provincias ſecundiſſimam diſpenſâſti facultatem, eâdem latiſſimam anguſtaturus Arenam, quâ immenſa Regum corda complexus, velut experimento præluſiſti. Quidquid igitur TIBI hactenus tituli faſciumq; in venerationem accidit; minorem cenſemus umbram: eam tamen qualem meridies altiſſimæ virtutis non rarò ſpargit. Suffecit illa nihilominus moderationi Tuæ, ſed non nobis: anhelâſti labores, non præmia; cupiduſq; eſſe, non videri, dignus optabas: at ſi ipſe optimus, celſiſſima neglexiſti; interfuit aliorum velle, quod debebant. Licuit in voluntatem Tuam peccare, quâ optima ſemper voluiſti, non maxima. Fruſtra Tua invidia mundum vitavit Arbitrum. Siparium iſtud Tuum præclarius ex voto omnium Theatrum TIBI pandit; nihilq; magis illuſtravit, quám quòd latebris Tuis famulaturum exiſtimabas. Ex Tuo exemplo aliam fortunam aſtrorum in cœlis, aliam terreſtrium intelleximus: illa quippe ſub ſolis nati præſentiam in occaſum declinant, iſta verò à conſortio Majeſtatum diem nanciſcuntur. Dextrum ſereniſſimo Poloniæ ſoli radiabas ſidus, nec TE ſumma ſerenitas noſtro eripuit aſpectui, ſed accendit. Ducebas nubem modeſtiæ, ut lucem conderes: & ea ipſa Matutæ inſtar flammâ ſurgentis famæ in diem excanduit. Revocâſti illud portentum, quod in noſtram memoriam ex Romanis devenit faſtis: ipſo meridie ſocium ſoli fulſiſſe Phoſphorum: aſſiduâſti ſolio noſtro præſentiam, dubiumq; feciſti, an non etiam in Phæbum abijſſes?

Cancellarius Reginæ.

Lateri Sereniſſimi Aſſiduus.

ET id adhuc inter minora reponimus: illud verò vel ipſe quantum cenſes? quo ſummum Principem ipſum Numen obæratum interq; Nomina Tua computas. Ordinem in geſtis Tuis non teneo: princeps illud quod ſummum eſt

Contra Atheum perorat

est. Arietem Tuum in cælesti fascia regnare cernimus: quamvis piscibus & Aquario signata præeant tempora. Grandia facinora ut orbis Cæsares sunt; pro ephebis minorem factorum præmittunt turbam: nec inter gregaria numerantur gesta, eminent enim supra numerum. Tuæ porro linguæ egregiè actum tantò amplius hoc se vulgarium gestorum eximit catalogo, quia infinitum & immensum. Quid divinius nostra potest humanitas! ac DEO Mundum mundoq; DEUM reddere! fecisti id Illustrissime Præsul sub Poloniæ Cœlo Patronum egisti omnium Patris, & Advocatus Causæ imæ causam evicisti. Hæc infulæ Tuæ gigas gemma est de Atheo ceu Dracone sumpta! hoc illustrissimum famæ argumentum totq; inter grandes Actorum stellas, supremæ magnitudinis; quam vel ipsi, si liceat, invideant cœli. Succumbent TIBI secula; cujus pedum sub Arbitra Universi Majestate totoq; axe non laboravit. Detrectabunt hanc altissimam TUæ facundiæ stationem metiri ingenia: assequi enim calamo desperabunt divinū fastigium. Nec sola hæc materies laudis TUæ futura est; sed prima. Nascitur Tibi quotidie, quod satis laudetur nunquam. Omnis TIBI hora gloriæ Natalis est Qui incepisti, ubi alij desinunt, desines, quorsum nemo perveniet. Utcunq; TE scripserint & dixerint non æquabunt Chrysostomum, consona Virtute nomini aurifluū calamum & lingvam exigente. TIBI ipsi debet præsens ætas gratias, quòd fluxa illius fata cum perennitate styli Tui conjunxeris: nec minus quondam debebit posteritas; quòd TE decus seculi nostri admirationi & exemplo concesseris. Nemo Tuam ad vivum tentâsset imaginem, nisi Tu ipse pennam & dexteram delineationi Tui accommodasses. Nunc legunt Tuam effigiem etiam qui TE non viderunt & amor oculum prævertit. Libros edit.
Velut in aqua solem, sic TE in Tuis scriptis comprêndimus, & ipsa umbra sepiæ luci Tuæ inservit. Interes seræ Tui memoriæ, & famam delibas, quam alij posthumam vix sperare audent.

ÆVi triumphum præcipe, paginâ
Victure Princeps Pyramidum moras,
Et vulsa vicinis Averno
Fragmina non benè nata cunis;
Deprælianiis bella Ceraunij
Jovis, rebellem fortius Oëbalum
Paronq; frangi pervicacem
Et scopulos lacerant Carysti,
Celsos avaris cornibus atterunt
Lunæ Colossos, quiq; adamantino
Superbiunt fulgore postes
Aut Arabum Phariové fasta
Ludunt honores atria, sentiunt

Dentem senectæ: nescia TE mori
Ægis Mineruæ firmiorq́;
Musa die Triadem sororum
Contra metur. Parcere Palladi
Jam, sècla nôrunt, quæ Rhodij ærea
Portenta Phœbi, quæq́; Phœbes
Jonios rapuere cultus.
Legêre fesso tempore Nestori
Etsi fenestrâ quærere uitreâ
Binâq́; crystallo micantem
Jn philyras reparare flammam
Debebit olim. TE juuenis manu
Crebra reuoluet non satiabilis
Fontes Hydaspe ditiores
Jmmodico perarare vultu.
Quotquot secundo lumine Pallladis
Noscent sacratæ munera, tot pio
Plausu calebunt, rursus AGnum
Clausa sigilla aperire libri.

Haberes Tui imitatores non paucos Præsul doctissime, si æquè scribenda facerent, ac facienda scribunt. Tu solis instar, lucem in alios dividis, & ipse es Illustrissimus. Enituisti optimus, quàm alios formares bonos. Nihil in charta legimus, quod non ante in moribus exhibueris. Vitam Tuam scripsisti, quam publica orbis censura approbavit. Incepit à TE labor & derivatus in alios est, quia quod in TE perficeret, non invenit. Defluxit in calamum virtus ipsa crediderim suffragante modestiâ, quæ sola mundo patere jam propè erubescebat. Sumpserunt ex actis vultum apices, quem in oculos imò animos mortalium transfunderent. Ita utiq; Pietas sanctiorisq; gloriæ amor tacita melioris vitæ per chartas gliscere doceret incendia, si mortalis foret. Meritus es de Vniverso humano genere Præsul Optime imò Superis; sementis enim Tua est, quā albentis papyri solo commisisti, illorū autem manum falcemq; exspectat messis. Legent alij pietatem cœlo notissimam similemq; adoream fæcundo cordis aperient sinu: alij suffragantem innocentiæ laudabunt stylum! & illibatum florem sequaces Tui in æterni seculi aptabunt laurum? mirabuntur munificum in posteros zelum! & æmulo studio rapere tentabunt famam: alij deniquè alia per umbras sese efferentia suspicient decora! & conabuntur parem gloriam: nemo tamen unus omnia animo complecti poterit! & si quem secula diuturno tantum negotio laboraverint: ut Tuam Imaginem iterare spectaculo non desperet: quanta adhuc reliqua erunt? quibus etiam præsentem fraudâsti diē contentus scripsisse, in quæ nostrum & sequens ævum eniti imitatione possit, non verò spei exsors admirationis duntaxat honestet suffragio.

Quem

QVem animus Tuus præsumat parem olim? in tot simul opera divisus & integer est! quasi necdum inchoâsset manifestus, & jam coronat facta? Ad latus Principis domesticum oraculum audis! & alibi partiris vocalia munificentiæ exempla cum Tito, comitatis cum Trajano; zeli & doctrinæ cum Ambrosio! Præsulibus altiorum ætatum simillimus, quidquid per tot æva Christianitatis fastis perennatum est, iterâsti, ne sola per volumina repetitam adoraremus sanctitatem. Delibasti succum & medullam antiqui diei, ~~temporis~~, quam mox de Tuo capite & exemplo in ovium expri meres alimentum. Hoc demum non sibi impendere vitam, sed Patriæ est; ita vivere naturæ, ut gloriæ! & hanc nonnisi mensurâ sui definire, ac si gloria & natura unionis adminiculo aut identitate quapiam non jam coaluissent, sed idem forent.

Mira dexteritas & virtutes.

GRandævum Senatûs nomen alios non tam annis, quàm consiliorum canæq; mentis inopiâ gravat; at Capiti Tuo tutò cum infula incubuit, nec flexit cervicem Herculis, sed levavit; palmæ ritu, quæ magnitudini annorumq; victorijs per onera initiatur. Verticis capilliq; brumam niveum mentis prævertit senium. Gravissimum TE senatorem non ex nomine duntaxat sed ex momentis pondereq; rationum illa libertatis orchestra adoravit. Consilia Tua nemo examinat; aurea sunt, sanitasq; illorum, quâ fatiscentes Patriæ vires juvas & recreas, diei luculento concertat. Tractas ruentes in publicam perniciem animos, ut annum retardes exitij Romæ huic nostræ ex merito mora fatorum, sive quod idem est, fortissimus ANDREAS. Igitur provocas communia omnium vota & voces, quibus plures succedere post seram ætatem optamus TIBI pares felicitate in arduis, vigore in dubijs, in repentinis Argo oculo, in adversis secundo tripode, qualem TE hactenus Sarmatiæ nostræ fuisse gratulamur. Senatum scilicet unus imples, Consos, Catones, Tullios solus adæquas. Præcipe futuri temporis de TE judicium; cui vel præsentis concessit livor. Retroacta secula minori sapientiæ voverunt aras & delubra: TIBI Nepotes nostri superstitione non probabût cultum; sed magnorum nominum secunda congerie ut simul titulos singulorum possideas; qui compendium es Vniversorum. Audies Mens Sarmatiæ, Cor Senatûs, Os oculusq; Regum, & altera veluti Poloni Cœli Intelligentia, hæcq; ex actis Tuis, non suo desument ingenio. Alijs enim industria assentantis facundiæ in subsidium veniat, ut cum purpura, magna etiam velut ex merito induant nomina. Possides Tuum, non pöeticum thesaurum, de quo grandia sensa regalis fasciæ coronata periodo in Tui depromantur ornamentum. Quin occurrere gloriæ Tuæ eo vultu non possu-

Prudentissimus Senator.

possumus, quo Tu labori parenti ejus occurristi. Experimur Nomina dignitatum etiám calamo onerosa: nec tamen quiete nostrû dissimulabimus studium; si ire & insequi virtutis Tuæ cursum non licuerit, per vestigia humilem trahemus gradum.

Fit ex Kiou: Præsule & Præposito Ploc. Episcopus Ploc.

ET jam facilitate Tuâ molimur audaciam, Tuâ humanitate in divinum enitimur apicem; quem Præposito Plocensi & Kioviensi Præsuli dum præterfluens Vistula vidit incumbere: admiratione cohibuit alveum; ut Majestatis Pontificiæ consecratus spectaculo in Balthidem ditiorem jam moveret amnem, quia Chrysostomi nomen inveheret. Occupâsti Cathedram plurium quàm 60 Atlantum humeris æternitati sustentatam ipse Alcides fortissimus.

Labores per diœcesim

Hic quoq; quis dies, aut mensis imò hora aut momentum gloriæ vacua meritorumque fluxerunt otiosa! Vnum TE nulla excepit ætas, unus Tu nullum exemisti momentum, quod non negotijs secula merituris appenderes non frustra grave; quia nominis Tui parturiebat æternitatem. Objecisti factorum aggerem, ne fluxa tempora ex placito suo in Lethen fluerent. Quidquid aliàs à TE præclarè actum aut cogitatum fuit, hîc iterâsti minimè dubius, semper placere aurum; iteratis adjecisti recentium gratiarum fœnus corollarium & fibulam priorum. Itaq; diversum iter continuâsti ad gloriam præ alijs. Multis namqué favor pro merito est, & grandis Honor vicem famæ occupat; magna quibusdam fortuna pro nomine probatur, & videri potuisse jam gustum æterni putant. Pudet non raros Sudoris proflui trabeamq; violatam censent, quoties deciduus humor fronte delicatâ pudorem ostri non tam inficit, quàm erudit ad splendorem. Parcos laboriosæ guttæ, parcissimos sangvinis cernimus, ne tum quidem in vultum cruorem colligere; quoties degenerem à Vetustate Sarmatica deberent erubescere ignaviam. In invicta verò otio mente Tua Cœli imaginem suspeximus: ut enim beatas illas sphæras suus fortunat motus; ita TIBI in labore felicitas vertitur, nec ille Pontificio honore sed Tuâ naturâ vegetatur. Non cum fortuna aut fama loqueris, sed Tecum; talis semper futurus, etsi deesset apex. Cœlis duntaxat prout celsiora stativa obtigerint, rapidior quoq; activitas est: TIBI dispar genius, rapuisti TE per occupationes non præmiatâ honorum censu operâ; ipsasqué non tam traxisti, quàm præcipitâsti in coronidem. Tot gratuitæ virtutes Tuæ emicuerunt, quarum exercitium, si eæ humanos vultus induerent, ea spatia non caperent, quæ Tuus indefesso animo & pede peragravit zelus. Immisisti in ultima Diœceseos, oculum; ne quid esset, quod solùm sibi notum jactaret Phœbus, aut ampliùs illius vitali, quàm Tuo aspectu animaretur. Vel in ipsa ferarum lustra

Zelus Illustrissimi

TE

TE abdidiſti certus inibi probare Pontificij Numinis robur Orpheo efficacius, ſi bruta pro hominibus offendiſſes. At reperiſti Tu illic mortales, quos magis Tuæ præſentiæ ſenſus, quàm diurni Planetæ manifeſtus recreavit radius. Quæ Eremi facies? quæ Faunorum gaudia? quæ deniq; ipſarum ſemitarum itinerumq; lætitia? ac ſi nunc primum propiorem in Ariete ſolem propitius illis indulſiſſet axis, ut veris vultum opaco ſyluarum receſſui poſſent polliceri. Nec hæc fortuna ſolas illas arcanas lucorum nemorumq; latebras excoluit: decurriſti orbem Tuum & ſimul lætiorem annum animis invexiſti. Accendit labor vota, ſudor adauxit ſitim, pericula erexerunt ſolicitudinem. Temperabat Majeſtatem Pontificiam comitas, dignitatis ſplendorem extinguebat humanitas, metum populis Tuus auferebat amor: & nihilominus Tuo lumine ebria occidebant in venerationem vulgaria ſidera, nec ruinam hanc inter infortunia numerabant: coram eo ſe occidere videbant; quem ipſa auguſtabat demiſſio, quiq; ſimili fortunâ ditare advenerat ſeculari ſquallidos deſidia. Nec fefellit eventus. Quacunq; Tuum circumegiſti oculum, felicior facies ſumpſit auſpicia, & hilarior per mortalium pectora & frontes; velut exorto ſole ſeſe explicuit dies. Et ille quidem prout Zodiacum illuſtreſq; domos aſtrorum ſortitus viſitationi fuerit, ſic etiam radium lucemq; alterat; nunc mitiore flammâ ſubjecto incumbit mundo, nunc graviorem facem frigido intentat orbi, conditionemq; nocti & diei inæquali partitur præſentiâ: Tu verò ſimul ſingulas ſiderum propitias mundo qualitates admirabili prorſus Sociâſti amicitiâ. Criticum Scorpium, fugata ſcelera, Cancrũ retrogradæ ab Erebo mentes, vernum Arietem ſoluta pectorum glacies, Taurum Tuus TIBI labor populorum exhibuit fortunator. Amor Superos hominesq; complexus Geminos, Leonem invictus arduis animus, pretio & prece nunquam defeſſa dextera Aſtræam effigiavit. Trutinã æquitas; Sagittariũ cælo intẽtæ vires, Capricornũ prudentiſſima felicitas, munificentia Aquariũ frugalitas appinxit Piſces, imò ſi quæ majora per orbem cogitari poſſunt ornamenta virtutum, compendio Tui Honoris tot decorum natiuo clauſiſti ſacrario. Quem igitur ſenſum ſucceſſorum tuorum futurum exiſtimas; dum Tua legent veſtigia; quo judicio imbuet redditus templis nitor, ſacris ritibus vigor, pietati conſtans honor? quem illum digitum, quam manum fuiſſe loquentur? quæ ſibi ſuffecit & alijs, ſibi rigorem, alijs mitiſſimam impendit olivam. Tinxiſti TE ſudore Præſul, nedicam cruore (vereor enim ne illum in faciem Tuã colligam) dum alios ceromate authorâſti cœleſti militiæ pacifico liquore Athletas, & una manus non jam manipulos aliquot ſed exercitus integros congregavit. Taceo ſublata bella & impia cum orco fœderas;

Viſitat diœceſim.

virtutes qualitates

cœlo intentæ vires.

dera; at alia simul excitata. Clausisti Ianum Superis, inferis reserâsti TE Fecialem agente AGNVS Tuus prælusit hinc Gradivo illinc Paci. Mirabuntur profectò qui Tua acta legent, Tibi tempus suffecisse, TE labori, ut toties in AGNI Domum minora colligeres sidera participaturus Præsuleæ eruditionis facem, quâ rudes jacentesq; Terræ Filij serenarentur. At Tu etiamnum TE eminere in hoc Celsissimi Honoris Vertice ideò arbitraris: ut latè pigro situ obsoletas atomos ad proximam Superis regionem attollas, radioq; inaures, quidquid attigeris. Ideo TE Sacra purpurâ rubere credis, ut accendas. Obtigisse TIBI tot Archimedis crystalla autumas, quot aris dedicata vicesq; Numinis actura Mystarum utriusque Cleri capita: ut in illa lucem mox per pectorum incendia augendam colligas. Quanta egisti Princeps piissime, ut commodiùs in terris habitaret Divinitas. Fecisti TE Formam & Normam omnium, ut jam agere placeret, quod Tu in aliis laudabas, & vicissim in Te ab alijs laudabatur. Didicit tandem suam fortunam metiri populus à TE Infulato Magistro, præclaro verbis, præclariore exemplis. Dicentem optimè audivit, quia ex Tuis moribus compositam, agnoscebat dictionem, vitamq; egregiè compositam præceptum fuisse sentiebat Eloquentiæ. Vt in speculo sudum àéra, humana possidet palpebra: ita TE in illo svadæ Ecclesiasticæ diluvio arbitrati sunt. Arsit lingua iam olim cœlesti invento, Amor verborum accendit facem. Coronâsti facundiæ flore cœlestia monita, distinxisti gemmas pectoris, auro oris. Nitor mentis per dicta aurea effulsit.

Synodi.

Cõsecrat. Ecclesias concio-naturq;.



N cassum roseos fabula suspicit
Matutæ thalamos, & Jovis humidi
Difformem patrijs vultibus irida
Hortis propitias DEas
Naturam simulat si Phrygius labor
Mæandroq; decus ludit amabili,
Jam uernam nitido vulnere Chloridem,
Jam flavam Cererem pati
Campum Sydonij velleris erudit!
Frustra nobilium sidera geminum
Miramur pluviæ fontibus iridis;
Auroræq; chari ebria.
Hæc vel dextra potest, sed mage Præsulis
Auro suada potens, spargere ditior
Vultu sidereo pectora floreq;
fortunare peritior:
Pæstanis reuirent corda rosarijs,
Aut albent siculis messibus illico:
Per mentes properas flumine gratiæ
Pulchram lumine & adoream
Quin Hyblæa Tuo, quin & Hymettia

Florê

Flori melle favos, quæ roseis loquens
Distillas labijs: ore etiam fluis
Non tantum manibus Charis.
Etsi virgineæ Cecropij hospitæ
Ruris, nectareæ lucra peritiæ
Jactent, Tu superas molliter Atticum
Pascentes volucres thymum.
Illic Ambrosij cæcuba depluis,
Bernardiq́ alibi lactea flumina
Misces melle, secat fons animos; viam
Qualis Cœlituum notat.
Nec terrent Periclis fulmina, non gravis
Adverso Phocion vulnere, divite
Auro tela placent fixa Chrysostomi
Mustoq́ illita pharmaca.

QVid deniq; pluribus! Eum hodie nanciscimur Principem, quem nulla factorum, nulla verborũ, imò nec cogitationum pœnitentia subit. Agunt reliquiæ illarum & temporis diem Festum TIBI. Ea dicis, quæ agere, ea agis, quæ omnes à se exoptant facta. Nihil alijs persvasisti, quod non ante TIBI, si tamen persvadere necessũ fuit. Naturam virtutis induisse facilitas pro argumento est. Circumfers ubiq; templum, aut facis. Ipsa Aula TIBI Basilica: indiscreto nimirum ibi Numen cum suo Vices gerente conclavi habitat; ubi sapientia & Virtus perennè hospitantur. Nemo ergo miretur quod TIBI regnorum soles venerationem perpetuent; pietatis & prudentiæ basi sua niti noverunt solia. In nubis mens & terris altior, inter bella pacifica, inter fulmina serena, & vicissim inter oleas laureata fulcit religione consilia, cœlo sustentat orbem, ad incudem revocat tripodem, & Empyreo fovet in igni, ut extra commenta immortalia mundo fundat oracula.

QVid! quòd non magno nomini pretiosa dedices negotia? quin tamen illud sui fontis rumperet excubias, impedire hactenus non licuit. Sospitator ille orbis Christiani Ioannes III. ut serenitatis suæ radium per Bavaros Rhombos in gloriæ transfunderet atria, sidus Tuum ex consvetudine delegit Solis. Vidit iterum Orbis magnitudinem Tuam, & verni phænomeni speciosο intuitu solutus in lætitiam est. Omnium sese Elementorum applausus ad insolens erexerunt miraculum: dum Aquila Leoni AGNO paranympho nupsit. Admisisti eum honorem, non quod illi faveres, sed oneri. Coronâsti in Electorali aula Parentis gratiarum vota, ipse seculis coronandus, sed nondum gesta: Recentibus Augustæ Majestatis veluti initium gloriæ sumpsisti auspicijs. Quanquam id TIBI assiduum est: nova ordiri cum phosphoro famæ argumenta, quæ Hesperus absoluta reperit. Trahis fatigatum

Legatus in Bavariam.

onibus diem in illustres noctes, & vicissim lucem auspi-
te diluculum, et jam Aurora Tuis studijs meridies est? Cæ-
Arietem patritius Tuus non frustratur imitatione: magnos
s jubes etiam cùm non sunt, senescentem annum & exspi-
tempora adjuvas Tuâ industriâ: ne frustra magnorum die-
Ianuarium sidus in ceris præferre videaris. Cùm munificâ dex-
terâ humanæ certes paupertati; sola temporis laboras avaritiâ;
cujus lucra vel per damna corporis coacervas: somnus Tuus non tã
quies, quàm interruptio velutiq; siderũ sub nube vaga latẽtiũ invidia
est Nec noctem tantùm per excubantis quâ pietatis, quâ eruditionis
insidias decipis: diem quoq; ipsum splendidâ momentorum curâ
fallis & remoraris. Seculi nostri labes conspicuè quotidiè convi-
vatur; quæ tempus æquè ac epulas absumit. Inter Bacchi pluui-
as sonorasq; plausuum tempestates horarum sua quærentium dis-
pendia voces non audiuntur. Olim quidem Bellarijs aureis monstrũ
illud Cæsarum Heliogabalus auxit convivia: Tuæ cœnæ etsi me-
lioris metalli sumptum non deneges (TEmet enim pretiosè ob-
sonas fercula, Chrysostomu q; aure, oculis, & animo bibitur) non
tamen in luxum dissipas grandia labentis seculi momenta. Inde
præclara opera, eruditi labores, cælestissimæ occupationes, quodq;
ampliùs manant exempla pietatis ab aula in publicum, tum prius
computanda, cùm cœlestis fori excubias in indicem digerere licue-
rit. Adde his suffragium Tuâ conscientiâ teste omni exceptione
majore, aut si refragaris, permitte simplicem catalogum texi operũ

Restaurat exruderibusq; excitat Palatium & exornat Imaginib. Præsulum veribusque.

Tuorum, quæ supersunt sive liberalis dexteræ sive calami &
ingenij. Gratulabundus vicisse inertem ruderibus vetustatem as-
sertasq; ripas Narvia fluxi licèt Elementi alluvione renovat quoti-
die memoriam Tui, dumq; monumentum Nominis Tui ædem
AGNI ad sua sitam littora secundo amne præterlabitur; imagine
Tui se speciosiorem obstupescit. Cernitur in illo labili speculo viri-
dis hortorum scena, Tui AGni non tam pascua, quàm alijs pro-
visa potius alimenta, videtur aula ad diurni sideris radium: Tu
non nisi in Trophæis his Tuis conspicuus es, intusq; veluti la-
tes non solitariâ Majestate venerandus. Providisti Comites & so-
cios gloriæ, quos jam tenet æternitas. Laudes Præsulum Tuæ
sunt, Icones Antecessorum TE tot secutum Numina Numen lo-
quuntur & loquentur in æva. Confixisti stylo tempora, nec Di-
ctatoris eguisti clavo: quippe Palladis olea felicior lauro est, &
Penna hastis. Successit his iconibus Animi Tui icon in perfectione

Memoriale Clero Plocensi dedicat.

Romani Sacerdotis, mnemosyne ovibus pascuæ Tuæ Tuiq; au-
ctarium: quod quis expolivit dies? imò noctis subsidia? in illo
temporis concubijs sinu insidiatus non gloriæ sed Tuorum affectui
es:

es: locus desiderabatur & tempus! vetabant [illegible] &
Ius patriæ & publica distinebant fata! cum Augusto
rum bella motusq; pacabas! & inter acinaces securus A[illegible]
xit calamum, in turbido illo uniones nobilium occupa[illegible]
erudisti orbem natâ propemodum in castris Minervâ. [illegible]ta
tempore in cœlestem & terrestrem TEmet patriam divi[illegible]
utramq; non uno ante liberalitatis Tuæ obligâras congiari[illegible]
rexeras scilicet mores, nec minùs vetustatem templorum. Vt a-
nimis & ædibus facilior hospes contingeret Divinitas; illos exco-
luisti, has ornâsti. Suffecit vellus AGni Tui & concordiæ nodo,
quo scissa vinxisti studia, & altarium honori. In omnia quodam-
modo pugnâsti elementa & aureis argenteisq; telis munificæ ma-
nûs succumbere debuerunt. Mirum superesse aliquid quod do-
nes; cum omnia effundas, Fluunt assiduo amne munera, & nec-
dum siccatur Nilus. Parciore Narvia sese flumine nobis approbat,
quàm Tua liberalitas. Illius ornâsti ripas & ad beneficia mortali-
bus obligâsti danda jam ex debito, ne Tibi ingratus sit. Nec
ignis domitor omnium, quiq; toties proterviam immolat, Tuum
extinxit aut exhausit Tagum. Probavit victor Vulcanus nunc se à
Chrysostomo triumphatum hoc solo felix; quod aurum Tuum
vel extinctus illustravit. Fato suo sopitus Tibi grandem porrexit
materiam, quam nobiliore formâ informares Prometheus Divi-
nior. Æternam flammam competere Vestalium custodiæ non igna-
rus, liberalitatis Tuæ radium caduco succedere jussisti incendio.
Servat ergo munificum fulgur Tuum Przasnisium, nec minùs
Pultovia: cui ideo forsan iniquus Aquilo apicem tectumq; sur-
ripuit, ut magnificentius Tuæ purpuræ infulæq; tegeretur digni-
tate. Quid porro Societatis Basilicæ contuleris? quid tot alijs qua
quaversum delubris? compendio dicam, ne liberalitatem Tuam,
quâ tantas moles sustines, onerem. Basim nuper Vespasianus in
dextera sua indigitavit architecto struendam ingenio, Tu virtutis
industriâ ex Tuæmet indolis delineatione in manu tantorum ope-
rum posuisti fundamenta, quibus non humana duntaxat calami-
tas, sed vel Superum nititur gloria, ne dicam pauperies. Potes jam
de factis Tuis assumere insignia, ut Majoribus nil debeas, nisi quod
TE præcesserint & præoccupârint virtutem: quâ ceras accendisses
similes jam lucentibus tot per ætates. Habes mænia turrium, quæ
excitâsti. Ascia deesse non potest; qui etiam Æternæ Sapientiæ Ba-
silicæ dedisti columina. Messis ubiq; beneficentiæ aurea fulgu-
rat, falcem universorum TIBI fabricatur gratitudo. AGNUM
concedunt Aræ, fama pro Cygno serviet, quæ affectûs nostri car-
mine in ævum perennabit.

Coenobium Virginum restituit.

Pultoviæ templorū liberalitate juvat structurā.



Nterest vestra Superi, jubete
Principi ducant adamante Parcæ
Stamen, & nullis superanda fatis
Pensa laborent.
Quòd domus Divûm meliore vultu
Provocent cæli vigilantis arces
Quòd micent aræ, decus hoc lucernâ
Fluxit ab AGno
Mille jam lucris malè sparsa culpæ
Damna pensantur, nitet expiato
Dignitas cultu, nec Arachne honorem
Mulctat Olympi.
Nobili pensant facie ruinam
Improbo fessi Boreâ Penates,
Victa Vulcano benè sanctiores
Pergama Vestæ
De suo rursus tumulo renata,
More Phænicis, TIBI longaplaudunt
Secula Amphion, TIBI pulcher AGne
Æva precantur.
Vitrei propter speciosa stagna
Narviæ, q æ se Iovis in triumphum
Erigunt moles, TIBI se trophæa-
Æterna reclinant

Cuivoto minima assonat Societas: Præsulem veneramur & Principē, cui etsi altiora precemur, humilia sunt: si maxima adhuc minima videbuntur. Summa meritus es & perennia: at si innumeros annos voveamus; assentatione forsan corrupisse synceritatem affectûs putabimur. Subsistere nihilominus intrà humanitatis limites Divina Tua Acta prohibēt, nec parciora vota esse debent: quàm virtus Tua. Ex sensu optamus tuorum meritorum; dum volumus maxima & plurima. Habe quod debetur, etsi non exoptes. Patere ambitionem hanc nostram, qui ab alio ambitu TE procul removisti. Societas Monumentū Tui perpetuum, in auctarium suorum corda adijcit: ut illorum vitâ vivas, quos tuis animas beneficijs, pretioso AGNI vellere ornas, gratijs augustas & vegetas. Vive Præsul & Princeps Celsissime ter coronate, nunquam satis coronande. 3tium Præsul es, & hoc nil perfectius; 1mum Princeps, & hoc nil dignius; trigesimus 3tius Varmiensis Pontifex, & hoc nil felicius; ANDREAS in hac Cathedra secundus, Chrysostomus 1mus: Habe ergò 1ma omnia, 2da & perfectissima. Posside sequentia secula ut possides præsentia vota. N mera fortuna m in obsequio, honorem ad nutum, tempora ad votum, animos ad c ltum, Eventum Tuimet precantis & facientis Optima pro Corona.

Ad M. D. T. O. M. G. B. V. M. Sine Labe Originali Conceptæ Honorem.

